Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2535
Quelle:
Copyright:

odio maledicto detractione et inuidia. De acidia Somnolentia et Instabilitate. De superbia Blasphemia iactantia uana gloria heresim contentione Inobedientia excusatione delaturas et correptione et malas cogitationes. Dicta Sancti hieronimi (spuria). *De penitentia Nubentium specialiter. De uexatis a diabulo. De questionibus Conjugiorum. De seruis et ancellis. De diuersis questionibus.* Quaedam demum ex *Interrogationibus Augustini Angl.* Ep. et *Responsionibus Gregorii* M. quae abrumpuntur in his *Resp.* X. verbis: *quod enim eis concedit sancta predicatio et tamen.* — Plurima ex adlatis in Poenitentiali *Theodori Cant.* sparsim occurrunt, cujus aetate Collectio nostra fortasse non multo inferior est.

DCLXVIII.

651. Codex membraneus lat. Sec. X. Folior nunc 43. 4. luculente, sed mendose scriptus hanc praefert ἐπιγραφὴν charactere quadro miniato: *Incipit Iudicium Patrum Ad Paenitentes.* Ingressus est ejusmodi: *Secundum emendationem penitenti. et a malo cauendi* (caventi). *et ad ecclesias festinanti. Et sacras scripturas audienti. et elemosinas. et missas facienti. a sacerdote considerandum est. adbreuiandi ieiunium et non de semel danda est penitentia de maximis culpis. Sed per partes. et ana* (una? ante?) *modice indicenda. et absoluere nullus presumat penitentêntem* (sic) *suum. dum eum in uia recta ire non uiderit.* Tum sequuntur *Canones* circiter CXCV. hoc initio: I. *Si quis clericus homicidium fecerit X. annos exul peniteat. III. ex his in pane et aqua.* II. *Si quis homicidium nolendo fecerit. V. annos peniteat. II. ex his in pane et aqua.* Ita nullo deinceps materiarum ordine plerique a *Si quis* incipiunt, lectique sunt e variis antiquis Poenitentialibus, puta *Halitgarii Camerac. Bedae*, *Theodori Cantuar.* aliisque, quorum Excerpta *Jac. Petitus* editioni *Theodori* adjunxit *Paris.* 1679. 4. Reperiuntur item sparsim apud *Reginonem* et *Burchardum.*

II. *fol.* 23. Nova sequitur Collectio, inscripta: *Item De Romano Penitenciale.* Non *Halitgariano*, quod a quibusdam etiam *Romanum* adpellatur, neque illo, quod hoc nomine edidit *Ant. Augustinus* inter *Canones Poenitentiales*, *Tarraconae* 1581. 4. et deinceps alibi, sed certe e vetustiore illo, quod in ipso *Augustiniano* citatur. Sunt numero tantum *quinque Canones*, quorum I. *Demonium sustinens licet petras uel olera habere sine incantatione*, nullibi reperi. Reliqui IV. partim in *Cod.* antiquo *Siculo*, partim in *primo Poenitentiali Andegavensi* apud *Job. Morinum de Poenitentia Append.* p. 24. et 34. et 35. edit. *Paris.* 1651. f. extant, aguntque de Cultu Daemonum et Mulierum Superstitionibus.

III. *ibid.* p. 2. *Item De Canones Anquiritanos Titulo* XXIV. Pro *Ancyranis.* De Auguriis, ut T. I. *Concil.* edit. *Venet. col.* 1494. sed versio nostra non est

Dionysii